
34.6.E.5. 12

# VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI

## ORATIO IN EXEQVIIS GREGORII XIV. PONT. MAX.

Habita in Baſilica B. Petri ad Sacrum Collegium. VIII. Kal. No. Anno M.D.LXXXXI.

Ad PAVLVM Sfondratum Cardinalem, eiuſdem GREGORII XIV. fratris filium.



ROMAE,
Apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem. M. D. XCI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

AD ILL. ET REV. DD.

# PAVLVM CARDINALEM SFONDRATVM,

## GREGORII XIV. FRATRIS FILIVM,

Vincentij Blaſij Garciæ Valentini.

## PRAEFATIO.

RATIONI fuit, & æquitati conſentaneum, Card. Illuſtriſsime, vt qui primus vocem, lætitiæ, & gratulationis indicem, de felici Gregorij XIV. Patrui tui, Pontificatu publice emiſit, is ſupremum illius exequiarum honorem, & in omnem æui, poſteritatiſq. memoriam deplorãdum obitum proſequeretur, vt fieri ſolet, aliqua funebri, & plena veriſsimi laudatione mœroris. Sic præterea oportuit, ſic decuit, vt, ad quem priuata, ſed longe maxima luctus acerbitas peruenit, ei publica ſignificatio doloris, qui toti orbi Chriſtiano contigit, offerretur. Quod ſi quis ſit, qui hoc officij genus intẽpeſtiuum iudicet; quod expectandum fuerit, dum animo tuo diuturna cõſuetudo quaſi quoddã callum doloris obduxiſſet; ideoq. me, quod illum fortaſſe ſopitum, oblata ipſius cauſſa, impudenter excitauerim, temeritatis condemnet, is profecto inſcitiam patefaciet ſuam. Ignorat, ignorat omnino, qui iſto modo mecum agit, ad mirabilem illam, & non ætate ſolum tua, ſed etiam hominum opinione maiorem, prudentiam, qua ita te, in acerbiſsimo caſu, comparaſti, vt nullam infractionem animi, nullam demiſsionem oſtenderis. Dauid, cum vidiſſet filium in lecto iacentem, & moribundum, in interius ſe conclaue abdidit, quo vix ſol, aut aër admittebatur; à cibo, & potu abſtinuit; humi iacuit; itaq. omnium familiarium preces reiecit, vt, ne durius ſibi conſuleret, omnes iure vererentur. At vbi mortuũ ſeptimo die puerum intellexit, ſitum, & ſordes excuſsit; lotus, vnctus, regijs veſtibus indutus, in hominum ſe cõſpectum dedit, lætitiam vultu præ ſe tulit. Quod Pater pro filio, id ipſum tu, fratris filius, pro Patruo feciſti. Quãdiu in Summo Põtifice anima fuit, nullum laborem recuſaſti; nullam moleſtiam refugiſti; nullis ſumptibus peperciſti; nobiliſsimos quoſq. medicos, & experientiſsimos adhibuiſti; nullũ diligentiſsimi, fideliſsimi, amãtiſsimi filij officium prætermiſiſti. Cum humana remedia morbi atro-

citate, & pertinacia ſuperari videres, opem, & auxilium à cæleſti medico ſupplex poſtulaſti, ad eum quidem vehementiſsimas preces, in ſanctiſsimos vſus ampliſsimas opes effundens. Sed poſtea quam ille, triſtiſsimo ſui relicto deſiderio, diem obijt, tanta animi & æquitate, & præſentia grauiſsimum, & luctuoſiſsimum caſum tuliſti, vt de dolore, cuius fuit ſenſus acerrimus, tolerantia, de iniquitate rerum, conſilij magnitudine triumphaſſe videaris. Hæc inuicta animi tui vis & me omni culpa liberat, & te, velut exemplar ſummæ conſtantiæ, atque patientiæ celeberrimo gentium omnium theatro proponit. Erit ergo ineptus, qui credat ſe, cum de obitu Gregorij, Patrui tui, te præſente, ſileat, medicinam facturum dolori tuo; fatuus, qui timeat, ne, cum agat, illum, retractando, augeat. Quod vero me, hominem Hiſpanum, patria Valentinum, & vix de facie notum, in tanta excellentium Oratorum copia, elegeris, cui munus illud difficillimum æque, & honorificentiſsimum commendares, e quidem tantas ago gratias, quantas animi mei anguſtiæ capere poſſunt. Quod vero tantum tribueris, vt nihil mihi obfuturam putaris trium dierum iacturam, quos tibi ad deliberãdum ſumpſiſti, ex nouem, qui ad meditandum, cõmentandumq. cõceduntur, id tanti facio, quãti ea, quæ me in ampliſsimo prædicationis ſtatu collocarent. Conatus quidem ſum tuæ exiſtimationi, & illuſtriſs. Card. de Mendoza, Mœcenatis mei, iudicio, & Marcelli Veſtrij Barbiani, Secretarij Apoſtolici, viri præſtantiſsimi, & ad omne genus eloquentiæ nati, tuique ſtudioſiſsimi teſtimonio ſatisfacere. Id autem aſſecutus ſim, nec ne, illi viderint, qui ſuſceptæ rei magnitudinem, temporis anguſtias, imbecillitatem ingenij mei vera æſtimatione perpendent. Hoc interim ab humanitate tua poſtulo, vt hanc orationem, quæ leuiter adumbratas Sanctiſs. Pontificis virtutes continet, eius loco ducas, quæ illas eaſdem, ſuis coloribus depictas, ſparſiſſet, ac diſſeminaſſet in orbis terræ memoriam ſempiternam. Faxit Deus Opt. Max. qui excelſi animi tui, & inuicti magnitudinem, ac robur difficillimo ad tolerandum vulnere tentare voluit, vt te Eccleſiæ ſuæ ſanctæ diutiſsime ſeruet incolumen, &, quæ tibi, pro exantlatis, reip. Chriſtianæ gratia, laboribus, debentur, præmia perſoluat. Quod ſine dubio faciet, ſi optimi, & innocentiſsimi Pontificis inſignes illas, & admirabiles virtutes, tecum ipſe certando, imitari, & exprimere, vt cepiſti, tam conſtanter pergas, vt aliquando tandem eas omnes ſimul cum honore conſequaris.

VIN-

# VINCENTII BLASII
## GARCIÆ VALENTINI
## ORATIO,
## HABITA IN EXEQVIIS GREGORII XIV. Pontificis Maximi.

*

INOPINATA quædam vis, humana virtute potentior, omnemq́. diligentiam, & artem eludens, Patres ampliſsimi, Chriſtianæ Religionis propagatorem, pacis, & concordiæ auctorem, veritatis vindicem, magiſtrum Sanctitatis, Gregorium XIV. lento, ſæuoq́. morbo implicauit, & obruit. Merito quidem lacrimas, quas in quibuſdam grauitas, in multis aſsidua conſuetudo perferendi, in omnibus frequentiſsimus funerum vſus retinere, ac frænare conſueſcit, elicit hodierno die, & exprimit Chriſtianæ miſeratio reip. Merito ſqualent, inſitu, & ſordibus omnes boni verſantur: merito triſtiſsimos eorum fletus, lugubres & verbis, & rebus, & modis Sacerdotum cantus hæc huius ſacri loci ſpecies ita comitatur, vt tectum, & parietes mortem Sanctiſsimi Patris queri prope, ac lamentari videantur indignati, quod non vna æquati ſolo, ſtratiq́. conciderint. De vobis quid dicam? qui aſſequi inueterata veſtra prudentia non poteſtis, quin intimorum ſenſuum dolorem ſignificet priſtinæ alacritatis abſentia, & tranquillæ, ac ſerenæ frontis ablata iucunditas. De me quid ſperem? quem impoſiti oneris inuſitata magnitudo, muneris ſuſtinendi longe maxima & per ſe, & propter imbecillitatem ingenij, difficultas, acerrima porro doloris vis, veſter denique conſpectus, & auguſtæ cuiuſdam maieſtatis plena præſentia ſic perturbant, vt animus aberret à ſe ipſo, oratio auertatur ab inſtituto, niſi veſtra attentione, atque benignitate vtriuſque, miſerrime laborantis, curſus adiuuetur. Ac primum ſic ſtatuo: ſi Summum Pontificem, omni laude cumulatiſsimum, omnibus ornamẽtis excultiſsimum, præſtanti aliquis ingenio, fictis, & vndiq́. conquiſitis virtutibus vellet exprimere, nullam profecto reperire poſſet, quæ nõ in Gregorio XIV. floruerit. Scio, quid dicã, apud quos dicam, & de quo dicam. Id equidem dico, quod etſi maximum eſt, minus tamen eius eſt meritis, de quo dicitur. Dico deinde apud vos, qui,

niſi, vt fulgens ſidus, Nicolai Sfondrati, Cardinalis Cremonenſis, ſanctitatem elucere vidiſſetis, nunquam tuliſſetis, vt illum veſtris in celſiſsimam honoris ſedem ſuffragijs euectum, Chriſtianus orbis ſuſpiceret. Denique de eo dico, qui, vt vnus ex ſacrorum annalium memoria Pontifex, rem Chriſtianam ampliſsimis, & immortalibus opibus florentem, inuictis viribus, præſidijsque munitam, & ſecundiſsimo rerum omnium euentu in omni poſteritate beatam efficere ſic voluit, vt nemo magis; ſic contendit, vt nemo ſtudioſius; ſic cæpit, vt nemo melius, niſi eum decimus, pro dolor! decimus, inquam, Pontificatus menſis extinxiſſet. Atque ita non dubito, quin ſint illi ſolatio potius, & gaudio, quam mœrori, atque formidini tres illæ quæſtiones, quas omnibus, nobili aliquo magiſtratu perfunctis, horribiles fore ſcripſit Aurelius Auguſtinus; quo modo intraſti? quo modo vixiſti? quo modo rexiſti? Timeant illas Abſalon, & Iaſon, quorum ille nefaria in optimum, eundemq. indulgentiſsimum patrem conſpiratione, hic largitione, munerumque corruptela viam ſibi ad regnum aperire contenderunt. Metuant Antiochus, & Achabus, vita perdita, diſſoluta, omniumq. ſcelerum maculis notatiſsima Reges. Exhorreant Saülus, & Abimelechus, qui ob remp. male geſtam, ob ſpretum diuinum imperium, & tyrannicæ ſimillimam gubernandi rationem, funeſtiſsimum, vt illi ſuperiores, & ingreſſus, & vitæ, & rectionis exitum inuenerunt. At Gregorius, quem, quaſi manu prehenſum, ipſius bonitas, orbi terræ tam nota, quam cælo ſol, introduxit; qui introductus ſanctiſsime vixit, &, quã diu vixit, prudentiſsime gubernacula tractauit Eccleſiæ, tantum abeſt, vt illas detrectet, vt illarum etiam crebra vſurpatione mirifice delectetur, & gaudeat. Sic enim fiet, vt eius & aditus ad Pontificatum, & in Pontificatu vita, & Pontificatus adminiſtratio cum veſtra omnium præclariſsima, tum perpetua conſequentium ſeculorum aſſenſione comprobentur. Non recuſat rogari Gregorius, quo modo intrarit; qui veſtris concordiſsimis, ſapientiſsimisq. ſuffragijs, quibus, antequam ſuſpicari poſſet, & cõtra quam voluiſſet, Summum ſe Pontificem vidit, nunquam aſſenſiſſet, niſi ſenſiſſet, animum ſuum, totius ambitionis expertem, hac Spiritus Sancti voce pulſari; Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna. Non refugit cuiuſquam iudicium Gregorius, qui, vt diuino ſtaret, ſuo vim attulit; &, ad eum, cuius inſtinctu concitabatur, conuerſus, intra ſe clamauit; Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere mei. Prodiderat illa ſeſe, & ex omni parte oſtenderat in adoleſcentia, in media ætate, in priuata perſona, in publica, in ſecundis rebus, in aduerſis, inter ſuos, inter alienos, domi, foris, in otio pariter, & negotio. Cum cogitaret, cum loqueretur, cum quid quam faceret, ſemper rectus, ſimplex, incorruptus, ſine honorum contentione, cum contemptione diuitiarum, earumque deſpicientia rerum, quarum inſana cupiditate tenentur, qui leuitati ſeruiunt, feruntur ambitione, feruent auaritia. Iam in Conclaui, id eſt, in ipſius Pontificatus limine (huc enim feſtinat oratio) quæ fuit eius animi tranquillitas?

tes horri-
iles quæ-
ſiones.
ale intra-
int.
ale vixe-
int.
ale rexe-
int.

Gregorius
ſio intra-
t, vixerit,
xerit.

nocentia
regorij.

his tri-
s agnoſci
r Innocẽ
.

Conclaue
tificatus
nen.

quam

quam læta frons, cum ſe, vel paululum, importuniſsimus morbus remiſiſſet! quam aperti ſenſus, cum conſuleretur? quam faciles aditus inuiſentibus? quam expedita, quam prompta voluntas ad ſuffragium ferendum? non, vt ea facilitate, quaſi munere, cuius quam ſibi animum conciliaret, ſed vt eum, quam celerrime poſſet, Pontificem ſalutaret, quem Spiritus Sãctus vno cæterorum Cardinalium conſenſu, deſignaſſet. Differebatur res; dies ex die ducebatur; continebat ſe ipſe tamen, ab aliorum conſpectu, oculisq. ſubducebat; vt, quaſi veſtras voluntates præſenſiſſet, latebras prope quærere videretur, quibus occultatus, & inuiſus veſtris examinis effueret, & e memoria, ſi fieri poſſet, elaberetur. Poteras tu quidem, arbitratu tuo, latere, Gregori; ſed tua te ſpectata, & nobilitata, qua Deo ſemper placuiſti, extrahebat innocentia: vitabas hominum oculos; ſed incurrebas in animos: verſabaris quaſi in tenebris; ſed vndecũque fulgebas: &, vt ignis, quo validius comprimitur, eo violentior erumpit, ita quo diligentius animi tui præſtantiam, & dignisſimas iſto loco virtutes celabas, eo latius emanabant. Itaque Dei prouidentia factum eſt, vt, quod tibi magno ad cæterorum obliuionem, & tui ignorationem inducendam adiumento futurum credebas, id ipſum & illorum memoriam excitauerit, & te, latentem rerum prætioſiſsimarum theſaurum patefecerit, & tibi fores, quod minime volebas, ad Pontificatum aperuerit. Nemo ergo minore ſua ambitione, nemo tenuioribus amicorum ſtudijs, nemo infirmiore gratia, nemo obſcuriore ſpe, nemo rurſus illuſtriori, & clariori diuinæ voluntatis argumento, nemo maiori, & ampliori Sacri Collegij teſtimonio, nemo expreſsiori, & ad imitandum aptiori innocentiæ documento multis eſt ab hinc annis Pontificatum ingreſſus. Sed quo modo vixit? Hic ego vos appello, clariſsima mũdi lumina, teſtes Gregorij manſuetudinis, beneficentiæ, magnanimitatis, continentiæ, cæterarumq́. virtutum. Nota vobis eſt illius religio, nota pietas, nota fides, nota iuſtitia, liberalitas, & ſummus in ſumma rerum omnium poteſtate modus. Notæ vobis ſunt, & in luce Europæ, ipſiusq́. orbis vniuerſi auribus, & oculis collocatæ veri Pontificis dotes, quæ florebunt quotidie magis, ac magis, ſemperq́. viuent in hominum mentibus, atque ſermonibus æternis ſcriptis in omnem memoriam commendatæ. Etenim qui adoleſcens, qui nobiliſsimus (Sfondratus nimirum) qui ſatis à familiari re, & opibus inſtructus, qui ſuo relictus ingenio ita libidinem, & intemperantiam reſecuit, vt nullam impuræ voluptatis labem contraxerit; ſed ſemper, pulcherrimum naturæ donum, virginitatem incorruptam, & inuiolatam ſeruauiſſe dicatur, is non ne plane docuit ſe adhuc in terris manentem cælitum vitam incenſo mentis ſtudio meditari contendiſſe? Qui ſic ſe virtutibus omnibus excoluit, vt fuerit æqualibus exemplo, natu maioribus admirationi; qui tam felici paſſu per omnes Sapientiæ gradus, in nobiliſsimis, & totius Italiæ celeberrimis Academijs decurrit, vt, qui ſequerentur, longo interuallo à tergo relicti, in eodem quidem curſu, ſed non in eodem curriculo eſſe viderentur, quomodo vitam inſtitueret Beati

Quo mo[do] vixerit.

Futuræ [vi]tæ coniec[tio] ex pr[æ]terita.

Virginitatis decor [in] Gregorio.

Sapientiæ ſtudia.

Vita, & mores in ſacro Cõcilio Tridentino.

In recto ſẽſu conſtantia.

Petri ſucceſſor? qui Sapientiſsimis Sacroſancti Concilij Tridentini Patribus ita ſe probauit, vt omnium ore laudaretur; tam acriter in Chriſtianam cauſſam incubuit, vt nullius odium, nullius inimicitias, nullius potentiam, nullius minas formidarit; atque honoris, ab omnibus expetiti, quem ſperare poterat, ſi ſe tantulum flecteret, iacturam contempſerit, modo in recto ſenſu ſibi conſtaret, ab eo quid non fuit exſpectandum, rerum humanarum, & diuinarum ſummæ in terris Præfecto? Hic ille eſt Cremonenſis Epiſcopus, qui, cum aliud omnino ageret, vel potius nihil minus ageret; tamen hoc agere velle videbatur, vt ſe ad ſummi honoris ſedem exerceret, noſq. in Epiſcopo veri, & maximi Pontificis expreſſam imaginem cerneremus.

Cremonenſis Epiſcopus.

In Epiſcopo Summi Pontificis imago.

Etenim cum Epiſcopus pro Eccleſia ſua priuata tam vehementer laborabat; cum deprauatos quorundam mores humaniſsime corrigebat; cum peregrinos vndique Romam, ad religioſam expiationum celebritatem, quam Iobelæum appellamus, confluentes aut excipiebat hoſpitio, aut feſſos de via recreabat, aut viatico, & pecunia adiuuabat, cum pedibus nudis, in publicis ſupplicationibus incedens, ſacra loca inuiſebat; nullam ſe aliquando pro vniuerſa Eccleſia quaſi dimicationem capitis recuſaturum, populum Chriſtianum, luxuria diffluentem, non tam diſciplinæ ſeueritate, quam vitæ ſanctimonia deuincturum, futuram in omne hominum genus ardentiſsimam ſuam charitatem, ſacris locis ornamenta, Diuorum Reliquijs venerationem, religioni iuſtum cultum, hominum animis pietatem redditurum teſtabatur.

Creatur à Greg. XIII Cardinalis

Creatur à Gregorio XIII Cardinalis: omnes boni lætantur; omnes exſultant; omnes Eccleſiæ, & Cardinalium Collegio gratulantur; omnes Deo, Deiq. Vicario, quantas maximas poſſunt, gratias agunt. Vnus eſt, qui doleat; qui ingemiſcat electus Cardinalis, qui delatum honorem recuſare velit; & quia non poteſt, exclamet; nonne innumerabiles erant me multo meliores? Hæc Cardinalis vox ſimillima fuit illi, quam Pontifex primam edidit; Deus vobis parcat; quid feciſtis. Sic ille priuatus, ſic in mediocri ſtatu vixit; quid faceret, cum ſe æqualem Petro, cæleſtibus animis ſimilẽ, Chriſto proximum agnoſceret? Ille quidem Pontifex ita vixit, vt in Populum Chriſtianum charitate, quãtum homini licuit, Deum referret: Sanctitate Petrum effingeret: ſimpliciſsimis moribus, & candidiſsimis ſpiritus cæleſtes exprimeret. Hoc ita futurum pleriq́ue, acri ingenio homines, acute, arguteq. coniecerunt.

Eadem pene vox Cardinalis creati, & Pontificis electi.

Charitate Chriſtũ, Sãctitate Petrũ, Simplicitate cæleſtes ſpirit⁹, quãtum potuit, expreſſit.

Qualis ochi Regis futura eſſet natura, præſagium.

Sapientes quidam immitem naturam, & ſanguinariam Ochi, Artaxerxe Patre nati, ex eo prædixerunt, quod ex menſa, regio apparatu inſtructa, in qua tunc primum acclamatus Rex accumbebat, dextra gladiolum arripuiſſet. Et ex primo Gregorij ad rem Sacram publico egreſſu, quid prudentes homines coniectarunt? Hic ego veſtram memoriam imploro, dum excutio meam. Egreditur foras Gregorius, omnibus Pontificijs late collucens ornamentis; ſed multo illuſtrior inſigni præcellentium virtutum comitatu: ſellam conſcendit: ſubijciuntur hominum humeri: in altum attollitur: ad eum omnium ora, oculi, mentes, ſenſus omnes conuertuntur.

Lætæ

Lætæ acclamationes, læti plauſus, lætæ gratulantium, & bene precantium voces vndique perſonant: Salue, Gregori; Deus te nobis ſeruet incolumẽ; viuas, Gregori, diutiſsime, viuas feliciſsime. Quid Gregorius? Num ſe ad elegantiam, num ad faſtum, & pompam compoſuit? num ſupercilia depreſsit? ceruicem erexit? frontem, ad ſeueritatis indicium, contraxit? Nō hoc illius natura, non animus, ſingulari humanitate temperatus, ferre potuiſſet. Eſſet enim hoc dextra gladium capere. Quid ergo? color ei varie mutatur: erumpunt lacrimæ: oculi cælo defiguntur. Quæ fuit hominum, ſingula iſta accurate perpendentium, & æſtimantium coniectatio? Quæ tunc cogitatio mentem illius ſubijt? Equidem obtuſo ſum ingenio, & plane rudi; nec vllam artem teneo diuinandi: ſed res aperte loquitur hanc fuiſſe: Quis ſum? Quæ dignitas? Quæ tempora? Si me roges, Beatiſsime Gregori, reſpondebo, nec diſſentiet quiſquam, Angelum videri te, ſub humana ſpecie latentem. Verum, quæ tua moderatio eſt, tuiq. contemptio, hoc ſine dubio ſenſiſti, hoc cogitaſti: Quis ſum? homo, quo quid in terris fingi calamitoſius poteſt? Hinc illæ lacrimæ. Quæ dignitas? infinitis laboribus inſtituta, incredibili virtute ſtabilita, immenſa Dei benignitate aucta, & exaggerata; vno verbo: Summus Eccleſiæ Dei Pontificatus. Hinc oculorum coniectus in cælum. Quæ tempora? miſerrima, corruptiſsima. Hinc varia mutatio coloris. Hæc cogitantem, hæc meditãtem, hæc ſecum dies, noctesq. euoluentem eo modo vixiſſe oportuit (vt quidem vixit) vt humanæ conditionis ſordes quaſi quodam cæleſti nitore penitus obrueret; ad Pontificiam dignitatem ſanctitatem adiungeret: in hominum corruptos mores retineret charitatem, ex Dei charitate, delibatam. Aquila, cum ſe paribus alis in editum locum extulerit, ibiq. conſederit, primum, vt clari ſcriptores nominis prodiderunt, Solem, mox vngues, demum oblatam prædam intuetur. Gregorius, vt Aquila, cuius volatus ad Cælum pertinebant, & ad ima deſcendebant, e ſublimi illa totius Orbis ſpecula, Dignitatem Pontificiam, ſole ipſo ſplendidiorem, vt quæ a iuſtitię Sole mirabiliter illuſtretur, humanæ imbecillitatem, abiectionemq. naturæ, temporum, in quæ inciderat, miſeram, & afflictam conditionem recolebat aſsidue. His cogitationibus ſe acuebat, & excitabat: his curis agitatus ſupra mortalitatem ſuam aſſurgebat, & quæ ſe decerent lumina rerum circumſpiciebat. Perſarum Rex, in lecto iacens, à ſomno his verbis interpellari ſolebat; Surge, Rex, & cogita, quæ te cogitare vult Mezoromaſdes: Philippus Macedonicus, antequam e regio cubiculo pedem efferret, in hunc modum ſalutabatur; Philippe homo es. Gregorius nullius voces, quibus officij admoneretur ſui, deſiderauit, in illarum trium rerum meditatione defixus. Non modo illius aures Spiritus Sancti, ſalutaria pręcipientis, vocibus complebantur, ſed etiam exquiſitiſsimis artibus ad regendum, quæ fuit ex tribus quæſtionibus, vltima, inſtruebatur, ad eam inſtitutus, & directus normam, quam hæc verba declarant: Agnus, qui eſt in medio Throni, reget eos. Hinc colliguntur tres

Quid ... cerinc dêtes nes e... mo G... rij pu... egreſſu...

Quid ... taris S. altum ... ctus.

Aquila ... ſedens ... ciat.

Perſarũ ... à ſomno citabatu... Philip... Macedo... cus mod... ſtiz adm... nebatur.

iliæ

llæ in regendo pręcipuæ, laudatiſsimęq. virtutes, quas Gregorius omnes nus complexus eſt; clementia, iuris æquabilitas, excellentia dignitatis. Agnus fuit Gregorius, & quidem mitiſsimus; nec vnquam in quemquam iſus eſt paulo ſeuerior, niſi in ſuos, quorum ſanguinem pene contempſit, t parceret alieno; vtilitatem neglexit, vt conſuleret publicæ. Hos ille periculis expoſuit: hos inimicis obiecit Eccleſię: hos vulneribus, hos plagis conſcindi nō recuſabat, ſi ſic rei Chriſtianæ rationibus expediret. Omnes ſuos, quos idoneos rebus arduis videbat, grauiſsimis negotijs intereſſe, pręeſſe, illigari, & rerum molem vna ſecum, ne qua reipub. pars prętermitteretur, ſuſtinere iuſsit, & cum in vniuerſum hominum genus incredibilem quandam liberalitatis magnificentiam, initio Pontificatus, exerceret, ſuos vix reſpexit, inſtar fluminum ingentium, quę longinquos agros largiſsime irrigant, illiſq. dant fœcunditatem; vicinos ne attingunt quidem. Senſit vna inter omnes Gallia liberalitatem Gregorij, ab inſigni lenitate, & manſuetudine profectam; cum illam, extremis affectam malis, diuulſam, quaſſatam ſuis opibus copijs, exercitu recreauit; ad certam ſpem tranquillitatis, honeſti otij, priſtinæ fęlicitatis excitauit. Cum agere ſummo iure, vti ampliſsima poteſtate, humana, & diuina in efferatos homines, & atrociſsima quęque, ob deſertam fidem, violatamq. Religionem, meritos, expedire arma poſſet, tamen Agnus manſuetus non hortatione, ſed lacrimis, non præceptis, ſed precibus eos ad ſalutem, ad veram Dei cognitionem, ad ipſam, quam exſuerunt, humanitatem inuitabat. Ad extremum, vt famem in vſitatam, & ante hoc tempus inauditam, quæ totam Italiam inuaſerat, Roma depelleret, quid non cogitauit, fecit, molitus eſt? omnes angulos excuti, concauas ſpeluncarum latebras inſpici, terræ viſcera explorari iuſsit; miſit nuntios ad omnes oras, parteſq. terrarum; Sarmatas ad comportādum frumentum ingentibus præmijs cōmouit, ne parſurus quidem remotioribus etiam gentibus, vnde aliqua rei frumentariæ affulſiſſet ſpes. Cum omnes conatus, omnemq. ſedulitatem ſæuientis ſine diſcrimine famis atrocitas ſuperaret, vſque adeo torquebatur, vt cum ad corporis morbum animi mœror acceſsiſſet, haud procul uitæ periculo abeſſe putaretur. O affectum vere paternum! o clementiam & manſuetudinem, ad quam nihil addi poſsit! Tandem ad cælum conuerſus, diuinum remedium implorans, cælites omnibus precibus orans, & obteſtans, theſauros non manu, ſed ſacco, vt aiunt, diuidens, exitium, quod noſtris ceruicibus imminebat, auertit. De iuris æquabilitate, altera regendi virtute, hoc dicam, eum in medio Throni ſediſſe, neutram in partem inclinaſſe, ab æquo, & bono nunquam diſceſsiſſe. Nam qui medius inter Deum, & homines eſſet; qui, vt pons vtranque ripam fluuij, ſic cælum terræ coniungeret, is cur a ſe ipſo, priſtinaq. virtute degeneraret? Ecquæ res illum, recta ſemper, & honeſta ſecutum, quominus iuſtitiam coleret, expugnare potuit? opes? at illas contempſit, cum careret; profudit in maxime neceſſarios vſus, cum abundaret, gratia? Quorum? ſuorum

no

ne ? at ab illis, exemplo ſuarum, eximias virtutes expreſsit. alienorum? ſcilicet, qui de diuina dumtaxat comparanda laborabat,humanam,& inanem captaret. Preces ? ſi iuſtæ, non ſuſtinuit diu; ſi iniuſtę,reiecit. Cum quid voluit, quod quibuſdam minus probaretur, retulit ad Senatum; ſingulorum voluntates explorauit; ſententias rogauit; deſtitit, cum ancipitem rei videret euentum. Throni exiſtimationem,& auctoritatem,perſonæ,à Deo impoſitæ, maieſtatem,contra impios multorum conatus, & audaciam immanem vt tueretur, vt Petri Sedem vndique ſeptam, & munitam teneret,Philippum Hiſpaniarum,cæteroſq. Reges,ac Principes,veros Eccleſiæ Romanæ filios,ſecum,omnium cogitationum,conſiliorum,laborum, periculorum communione ſociauit, vires, & arma, cum oporteret, coniuncturus. Quemadmodum enim cæleſtis ille orbis, qui præeſt omnibus,alios,cōtrario curſu nitentes,agit ſuo motu,propellit, trahitq. ſecum, ſic ijs præſidijs,& viribus auctus,ſperabat poſſe ſe (& feciſſet quidē, ſi diuturnior illi vſura vitæ contigiſſet) rebelles, refractarios, & erecta ceruice contra Deum ambulantes ad ſe trahere, in rectam ſalutis viam inducere, Deoq. ſubiicere. Atque vtinam quanta prudentia hæc, & alia innumerabilia,cum Dei gloria,cum Eccleſię Catholicæ dignitate,cum populi Chriſtiani commodo,cum gentium omnium ſalute coniuncta, excogitauit,tanta felicitate aut ipſe per ſe exſequi, aut per alios præſtare potuiſſet. Sed aliter viſum eſt illi, cuius abſtruſa, & recondita conſilia non aſſequitur humana mens. Videtur ne vobis, Cardinales Illuſtriſsimi, qui ſic intrarit, vixerit, rexerit, illud vſurpare poſſe; Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum meum ſuper munitionem, & contemplabor, quid dicatur mihi,& quid reſpondeam ad arguentem me. Nemo te,Gregori,arguit innocentiſsimum; nemo reprehendit ſanctiſsimum; nemo criminatur aliena crimina expiare ſolitum. Hoc rogamus; hoc à te, qui in illo puriſsimo, & nitidiſsimo ſpeculo cuncta contemplaris, inſpicis, aſſequeris, ſcire volumus,cur,cum tam innocenter,poſt tam longam conſultationem,tanto conſenſu,tam expetitus à Regibus, tam exſpectatus ab omnibus ingreſſus fueris,tam celeriter exieris? cur, cum tam ſancte vixeris, tam breuiter vixeris? cur,cum tam manſuete, tam iuſte, tanta cum poteſtate rexeris, tam cito regere deſieris? cur, quæ cogitatione deſignaras, non perfeceris? Stetiſti quidem pulcherrime ſuper cuſtodiam tuam; ſed quā diu? fixiſti gradum ſuper munitionem;ſed quam leuiter? Hæc,cum te ad audiendum comparaueris,percunctari audemus:his,niſi moleſtum eſt; niſi,quos, moriens, orbos reliquiſti, eoſdem, cælo receptus, aſpernaris, reſponde.

Dignitati amplitudo

Duorū n ſium.

Ego, quo die,vnus Cardinalium omnium conſenſus mihi,nihil tale exſpectanti, ac ne cupienti quidem, Sancti Spiritus inſtinctu, Pontificatum detulit, ſupplex à Deo poſtulaui, vt in obſequij mei præmium, me ſtatim redimeret, & mei miſereri vellet. Annuit meis votis, &, promiſsi memor ecce, redemit me, miſertus eſt mei. Quid ergo ſibi volunt iſtæ lacrimæ? Quorſum ſuſpiria? ſi mea cauſſa? iſta ego vos cura libero,qui libenter mo-

Reſponſ Gregor ad imit nem ex mi com xus, cū dinalib gum va xit.

rior,

rior, adeptus ea, quę mihi in cęlũ aſcensũ præbuerũt. In me honorũ deſpicatio altiſsimũ honoris gradũ cõſcendit: in me laudabilis, & ex ſui cõtẽptione profecta animi demiſsio eo fuit elata, vltra quo in terris progredi non queat: in me continentiæ palma coronã quaſi martyrij ſibi adiunxit. Quid enim aliud fuerũt intolerabiles cruciatus, dolores acerrimi, tot noctes in ſõnes, incredibilis macies, toties, hominũ opinione, mortuus, toties deploratus? Me felicẽ, ac beatũ, quẽ diuina maieſtas, vt tot dies grauiſsime exercuit, ſic inu[illegible]a patientia munijt. Sin autem veſtra cauſſa doletis? cur? vt me retineatis? fruſtra optatur, quòd obtineri nõ poteſt. Vt dolorem veſtrum ſignificetis? ille quidẽ quãtus ſit, ex eo, qui fecit, agnoſcitur. Sed vos, vt arbitror, Eccleſiæ Romanę vicẽ doletis. Agite igitur, expergiſcimini; eã capeſcite; eã vnã reſpicite. Eius iuuandæ maxima penes vos hoc tẽpore facultas eſt: vos illius orbitatẽ cõſolari, dolorẽ lenire, lacrimas abſtergere poteſtis. Illã vobis in hoc poſtremo amplexu, in his ſpiritus anguſtijs, & animę interclusione cõmẽdo, quã omni honore auctã volui, pro qua emori potui. Si quid in me aliquãdo offendiſtis, ſi vllã vobis moleſtiã exhibui, id, pro noſtra sũma neceſsitudine, mutuis officijs cõſtituta id, inquã mihi, id fratri veſtro, id ſaltẽ homini homines cõdonate. Si quid parũ cõſiderate, ſi quid nimis cupide, ſi quid remiſſe, ſi quid iracũde dixi, aut feciſſi quid prętermiſsi, quod nõ oportuit; ſicubi, homo, lapſus ſum, reuocate in mentem ſęuiſsimũ morbũ, qui mihi omnẽ alacritatẽ ademit, omnẽ vim mẽtis eliſit. Conſiderate tẽporũ miſeriã, perturbationẽ, varietatẽ, quæ animum meũ a pręclariſsimis cogitationibus, cogitationes a nobiliſsimis conatibus, conatus a perfectione maximorũ operũ auocarũt. Recordamini, cũ explicare me ipſum, cũ ſingula Reipu. mẽbra circũſpicere, cũ, quid expediret, quid liceret, quid deceret, animaduertere cœpiſsẽ, tũc mihi alio migrãdũ fuiſſe. Detineri diutius nõ poſsũ. vocat me, qui redemit, qui miſertus eſt mei. Vale Eccleſia Romana, quã vnice dilexi, quæ mihi sẽper hęſiſti in pręcordijs, quã amaui amore prorſus ſingulari: valete, Cardinales, fratres animo meo chariſsimi: valete Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, oẽs Pręſules, melior Eccleſiæ pars: vale Popule Chriſtiane, eius ſanguine redẽpte, qui me redimẽs, mei miſertus, ex hac ærumnoſa, & breuiſsima vita, ad illã beatiſsimam, & ſempiternam euocauit.

onestiſſi-
t excuſa-

orbi vis.
mporum
quitas.

tificatus
quitas.

Ah Gregori Sãctiſsime! ah Pontifex Maxime! ah currus Iſrael, & auriga eius! ſiccine Pater filios, his tẽporibus tã periculoſis, tã perditis? Siccine Paſtor gregẽ in tãtis immaniſsimarũ belluarũ inſidijs? ſiccine Gubernator nauẽ ĩ tã turbulẽtis, tãq. metuẽdis tẽpeſtatibus deſeris? Mane, mane pauliſper addã vnũ verbũ: mox cũ. Veh miſero mihi, quã difficile reuocatur, qui redire nõ vult, retrahi nõ poteſt. Exſuit Aarõ Põtificias veſtes moriturus, vt illis Eleazarus, ei muneri a Deo deſtinatus, ornaretur. Exſuit Gregorius Põtificias quoq. ſuas: vos, Cardinales Illuſtriſs. relicti tutores quaſi orbæ Ro. Ecc. nequis illas induat, niſi qui ĩtermortuas Eleazari virtutes excitet, eaſq. terrarum orbi repræſentet, etiam atque etiam, vt ſemper feciſtis, & nunc facturos, qui vos probe nouimus, non dubitamus, prouidete.

iperfecta
atio; qđ
ad quem
debat, di-
dens, au
e plura
n poſſet.
eſt Deus
utor vel
utorium
i.

* * *

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE